

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XCVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

Joan. 3. v. 14. Sicut respicientes illum serpentem æneum
suspensum, Num. 21. v. 9. sanati sunt; ita qui fide Christum
respiciunt, salutem habent, sicut pluribus hoc Saluator
loco citato inculcat.

Lo c v s. Discimus itaque fidem esse medium illud ap-
prehendens salutem. Explicari potest hoc similitudine
manus accipientis Eleemosynam.

Neque est hæc noua Religio, aut commentum Lutheri
& Lutheranorum: sed antiquissima doctrina, etiam ab
Isaia tradita, & olim in Vereri Testamento cognita.

Neque enim in alio salus: non aliud nomen sub cælo,
Act. 4. v. 12. Jehoua iustitia nostra, Jer. 23. & 33. v. 17. Co-
gnitione sui iustificabit, Esa. 53. v. 11. Factus iustitia, 1. Co-
rint. 1. Nec alia ratione illa iustitia quam fide apprehen-
ditur. Qui credit, non condemnabitur, non iudicabitur;
Joh. 3. v. 18. & 5. v. 24. & 6. v. 40. & 47. & 11. vers. 25. Paulus
carceratio: Crede in Dominum Jesum, Act. 16. v. 31. Ei-
gone licet facere quod volumus, tantum credamus? Mi-
nime. Fides si vera est, viua est, non mortua, Jacob. 2. vers.
17. & 18.

F I N I S.

T H E M A X C V I.

Esa. 49. v. 14. & 15.

Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, & cætera.

Dispositionem huius Thematici, vide supra, in I. parte
Promptuarii, Classe I V. Num. XI. pag. 286.

T H E M A X C V I I.

Esa. 51. v. 6.

*Cælis sicut fumus liquefcunt: Et terra sicut vestimentum
veterasces, & qui in illa sunt, morientur.*

D I S P O S.

DISPOSITIO.

Inter omnia à Deo creata, tria sunt præcipua, 1. Cæ-
lum: ad quod referenda sunt omnia, quæ in cælo sunt, vt
firmamentum, Sol, Luna, & stellæ, &c. Per cælum enim
in scriptura sæpius (sic etiam hoc loco) non sedes beato-
rum, sed opificium illud Dei magnificum & aspectabile in-
telligitur: videlicet regio tora ætherea, & quoque illa ele-
mentaris, quæ proxime supra nos est.

2. Alterum est terra. Ad quam referimus hoc loco non
tantum omnia animalia viuentia: sed & aquas, quia erant
coniunctæ cum terra, Dei autem sapienti consilio ab illa
separatæ & distinctæ.

3. Tertium est homo, ad imaginem Dei conditus,
structura egregia, in qua singularis creatoris sapientia e-
lucet. Et is *secundum egyptum* hoc est, parvus mundus dicitur.

Quamuis autem terra dicatur sic fundata, vt maneat
perpetuo, Psal. 104. v. 5. & 119. v. 90. & cæli in sapientia fa-
cti, Psal. 135. v. 5. Prou. 3. v. 16. vt sedes sit ipseus Dei, Es. 66.
v. 2. atque homo etiã ad vitam æternam, Sap. 2. v. 23. crea-
tus fuerit: tam hoc loco Esaias, imo ipse filius Dei, cæ-
lo, terræ & hominibus, atque omnibus creaturis Dei aë-
bilissimis & magnificentissimis, denuntiat interitum & ab-
olitionem. Et distincte de singulis loquitur, vsus simili-
tudinibus appositis. De cælis ergo primum: deinde
de terra, & tandem etiam de homine, quomodo & quan-
do singula sint destruenda, dicemus.

I. Pars.

Cæli sicut fumus liquefcent, aut (rectius) præteribunt
vel dissipabuntur. Fumus quando in altu assurgit, à ven-
to vno momento sic dissipatur, vt nullum amplius vesti-
gium illius extet.

Ita cæli cum omnibus astris, Regio illa ætherea & in-
ferior elementaris, vno momento peribunt in igne. Ex-
plicat hoc Petrus eleganter 2. Petr. 3. v. 10. & 12. ab Esaiã
illud absque dubio mutuatus ex hoc loco & cap. 65. v. 17.

& 66. v. 16. Simile de pulvere tormentario supposito are aut turri, qui iniecto carbone ignito viuo momento omnia dissipat & solo æquat. At tum vis tanta erit flammæ, quæ absumer & liquefaciet omnia, Petro atque Esais attestantibus.

Quando vero insigni illud & magnificentissimum opificium sic dissipabitur & annihilabitur?

Id quidem non hoc loco expresse addit Esaias: at ex Esa. 66. c. vers. 16. & clarius ex Petri loco patet, quod illud tum sit futurum, cum aduenerit dies iudicii extremi, quo indicaturus est Dominus, seculum per ignem.

Vsvs huius partiterit, partim Consolatio pro piis: Partim Admonitio pro impiis.

I. Primum autem pii non debent extimescere ignem hunc, quo cœli sunt petiuri. Quia sicut focii Danielis, à Domino in camino ignis, à flamma illæsi sunt conseruati, Dan. 3. v. 24. ita nec viuos (quos deprehendet nouissimi dies) immutandos nec mortuos resurgentes ista flamma ardebit. Sicut Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 8. asserit.

Deinde vero impij monentur, ne iuxta illud Petri vaticinium sunt *ignem* & irrideant hoc Dei iudicium per ignem. Quin potius sic cogitent, si per ignem solui & purgari debent cœli, qui sunt bonæ Dei creaturæ, & non peccarunt, quid fiet de his, qui Deum offenderunt sua impietate? Et quia non ignis ille tantum exuret cœlum & elementa, sed Dominus ipse veniens de cœlo, cum incendio flammæ infliget ultionem his, qui non nouerunt Deum, & qui (si maxime eum nouerunt) non obediunt *Euangelio*, 2. Thessal. 1. v. 8. Vide ibi sequentia etiam. Sane itaque conuersatione opus & pietate, vt immaculati & incontaminati reperiamur: sicut Petrus ex eodem fundamento monet, 2. Pet. 3. v. 11.

II. Ratio.

Quid futurum de terra? Sicut vestimentum veterasset. Egregia similitudo. Vestis quæ aliquando in honore & pre-

& pretio habita fuit, temporis progressu veterascit, acceritur, tandem plane consumitur & abicitur. Noua conficitur. Idem de terra futurum asserit. Quando id futurum, Petrus docet. Eodem scilicet momento, quod cœli sunt transituri. Et sicut ignis absumet cœlos, ita etiam terram. Da wird der alte Lump auch hin gehen. Videamus autem accommodationem similitudinis.

Hæc terra primum à Deo magnifice & splendide fuit exornata, postea vero propter hominum impietatem a quis diluuii vastata & corrupta, hæc melior sit: quin imo semper in deterius vergit, iam tandem veterascit. Wie ein Aleyd je länger es getragen / jamer dner / aber nicht besser wird. Abicitur itaque tandem, & ipsa quoque igni peribit. Et mutabit Dominus vestem, atque nouam conficiet: nouos scilicet cœlos, & nouam terram. De quo Esa. 65. v. 17. & 66. v. 22. 2. Petr. 3. v. 13. Apoc. 21. v. 1. Eadem etiam extant, quæ hic, Psalm. 102. Vide supra in hac parte Dispositionem LXIV.

V s v s. Sæpius monemur, mundum hunc transiturum, Cœlum & terra transibunt, Luc. 21. Matth. 5. Et transit figura huius sæculi, 1. Cor. 7. 1. Joh. 2. v. 17.

Quam stultum igitur est thesauros coacervare, & bona multa reponere ad incendium & interitum? Certe si crederemus mundum sic periturum, non sic inhiaremus terrenis. Querendi potius thesauri cœlestes, Matth. 6. v. 19. Luc. 16. v. 9. 1. Tim. 6. v. 19. Phil. 3. v. 14. Col. 3. v. 1.

[Nota. Repeto hic quæ supra in Disposit. 64. monui. Cum argumenta sint in utramque partem, & Hieronymus super hunc locum, non abolitionem omnimodam mundi, sed immutationem & inuolutionem statuat: tamen de his curiose non disputandum, præsertim coram vulgo.]

Ipsi tamen Tyrones in Ministeriis sciant, diuersas esse hæc de re Theologorum atque etiam Patrum sententias. Idem cum Hieronymo sentiunt Augustinus, Origenes, Theodoretus, Theophylactus, & Chrysostomus: videlicet.

V 3 non

non omnimodam fore abolitionem, sed commutationem in melius. Alii tamen aliter sentiunt, & sunt etiam rationes in contrarium. At dimittamus illam quæstionem, vel differamus. Nouerimus tamen perire ista: Dominum manere. Non enim indulgendum curiositati humanæ. In altera vita plura experiemur, quæ hic nescimus.

III. Pars.

Quid de hominibus fiet? Illi ne perpetui erunt hic? Minime. Illis non tam diu dabitur manere, usque dum cœli transeant & terra, sed mox redigentur in puluerem. Morientur, sicut abiicitur subito res nihili, & censentur tanquam floccus aut citiulitium, &c. De his alias sæpe.

Locvs. Nol mirari cur homines tam cito abripiantur, cum cœlum & terra perdurent aliquot mille annis. Quia homines peccarunt, & indigni sunt, qui fruantur cœlo & terra tam diu, Esa. 64. v. 6. Peccata abripiunt sicut ventus.

ADMONITIO. Si illa splendida Dei opificia abolenda, nos etiam moriamur prompto animo.

CONSOLATIO. Cum cœtera abolenda sunt, homines reuiuiscunt & in integrum restituentur. Ergo melior conditio piorum.

FINIS.

THEMA XCVIII.

Esaï. 64. v. 16.

Tu pater noster. Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu autem Domine pater, redemptor noster à seculo hoc nomen tuum.

DISPOSITIO.

Hæc verba pater sunt illius precationis, cuius formulam præscripsit Esaïas populo, in captiuitatem Babylonicam abducendo: in qua petunt Judæi penitentes, vt Domi-